

559. At me tum primum saevus circumstetit horror.
560. obstipui; subiit cari genitoris imago,
561. ut regem aequaeuum crudeli vulnere vidi
562. vitam exhalantem, subiit deserta Creusa
563. et direpta domus et parvi casus Iuli.
564. respicio et quae sit me circum copia lustrō.
565. deseruere omnes defessi, et corpora saltu
566. ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
567. Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae
568. servantem et tacitam secreta in sede latentem
569. Tyndarida aspicio; dant claram incendia lucem
570. erranti passimque oculos per cuncta ferenti.
571. illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros
572. et Danaum poenam et deserti coniugis iras
573. praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
574. abdiderat sese atque aris invisa sedebat.
575. exarsere ignes animo; subit ira cadentem
576. ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.

577. 'scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenae
578. aspiciet, partoque ibit regina triumpho?
579. coniugiumque domumque patris natosque videbit
580. Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
581. occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
582. Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
583. non ita. namque etsi nullum memorabile nomen
584. feminea in poena est, habet haec victoria laudem;
585. exstinxisse nefas tamen et sumpsisse merentes
586. laudabor poenas, animumque explesse iuvabit
587. ultricis famam et cineres satiasse meorum.'
588. talia iactabam et furiata mente ferebar,]
589. cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
590. obtulit et pura per noctem in luce refulsit
591. alma parens, confessa deam qualisque videri
592. caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum
593. continuit roseoque haec insuper addidit ore:
594. 'nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
595. quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?

596. non prius aspicias ubi fessum aetate parentem
597. liqueris Anchisen, superet coniunxne Creusa
598. Ascaniusque puer? quos omnes undique Graiae
599. circum errant acies et, ni mea cura resistat,
600. iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.
601. non tibi Tyndaridis facies invisita Lacaenae
602. culpatusue Paris, divum inclementia, divum
603. has evertit opes sternitque a culmine Troiam.
604. aspice (namque omnem, quae nunc obducta tuenti
605. mortales hebetat visus tibi et umida circum
606. caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis
607. iussa time neu praeceptis parere recusa):
608. hic, ubi disiectas moles avulsaque saxis
609. saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
610. Neptunus muros magnoque emota tridenti
611. fundamenta quatit totamque a sedibus urbem
612. eruit. hic Iuno Scaeas saevissima portas
613. prima tenet sociumque furens a navibus agmen
614. ferro accincta vocat.

615. iam summas arces Tritonia, respice, Pallas
616. insedit nimbo effulgens et Gorgone saeva.
617. ipse pater Danais animos viresque secundas
618. sufficit, ipse deos in Dardana suscitatur arma.
619. eripe, nate, fugam finemque impone labori;
620. nusquam abero et tutum patrio te limine sistam.'